

qui vel objectum Ecclesiastici cultus habent id sane, quod Alexander designavit; sed ii tamen cum probabile volunt, non magis verum id esse posse, quam falsum arbitrantur. Quod est obnoxium errori Pontificem esse cum Ecclesia uerba. Vel aliud objectum comminiscuntur, seu genus uerentur ejusdem objecti; at differentiam, hoc est additam sanctitatem primi momenti non verentur negare, ac *fundamentum hujus festi præcipuum dicunt non esse. Conceptionem Immaculatam, sed simpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ.* Hoc autem negare est, quod Alexander affirmat. Quorum utrum sit flagitiosius, dicere nescio: utroque autem magnopere concuti Catholicam fidem, nemo est, qui non videat. Nunc est monendus libellator indoctus, ut a me discat, ubi res quæpiam finienda proponitur, duo requiri: Primum ut illa Christianam ad religionem, moreseve pertineat: Alterum, ut eam Ecclesia cognoscat in libro Divino, vel traditione, aliquo modo contineri; neque oportere, ut ante sit manifesta, quam finiatur. Jam vero Mariæ Conceptio, & immunitas non modo pertinet ad religionem, sed etiam fidei gravissima capita proxime attingit, hoc est naturam, & proprietates originalis peccati, occasionem Incarnationis, dignitatem Deiparæ, atque præstantiam. Res igitur est maxime digna Ecclesiæ judicio. Ad hæc partim e sacris litteris habetur, partim etiam ex veteri traditione. Id quod a nobis in loco demonstrabitur. Sed hoc in primis Catholicus lector velim attendat, non opus esse, ut in veteri Ecclesia illustre fuerit, atque omnibus patens, quod Ecclesia recentior constituere velit, sive publico magisterio, sive aperta definitione; sed satis esse, ut, quod Vincentius Lirinensis monet, in veteri sit Ecclesiæ doctrina implicatum, ac velut in femine contineatur. Cum enim is auctor docuisset, id esse tenendum (a), *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est* (quod ad privatam cujusque hominis Christiani institutionem pertinet) id quod Ecclesiæ præcipuum est, eleganter

(a) *Common. cap. 3.*